



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis  
Prædicatorum**

**Nicolaus <Eymericus>**

**Venetiis, 1607**

Bulla Greg. Papae xi. Conseruationi. qua conde[m]nantur viginti volumina  
Raymundi Lulli, & c[a]etera eiusde[m] opera interdicuntur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13589**

# Inquisitorum cum Commentarijs.

311

Q V A E S T I O X X V .

## De libris dānatis in Extrauagātibus.

**N**igesima quinta quæstio est. Libri hæreticales seu erronei, de quibus agitur in Extrauagantibus per Ecclesiam condemnati qui sunt?

Ad hanc respondemus, quod in extrauagantibus nullus liber apparet, ut talis condemnatus, nisi in extrauaganti domini Ioannis Papa XXII. que incipit, Quia vir reprobus in qua libelli quidam quos contra constitutiones predictas, Cum inter, & Quia quorundam de proprio & communi considerat, & ad studia generalia miserat, ac in valuis Ecclesiærum, & alijs locis affigi fecerat frater Michael de Casena hæreticus predicus, dum Generalis Minister ordinis fratrum Minorum, tanquam hæreticales cum suo aucto re hæretico condemnantur.

## C O M M E N T . L.

**A**d hanc respondemus, quod in Extrauagantibus nullus liber apparet, &c. ) De hac quoque tractatione copiose egit auctor supra sub alijs terminis q. 8. sanctus Antoninus in sum. p. 4. titu. x. c. 7. §. 5. & Turrecremata in summa de Ecclesia lib. 4. parte 2. cap. 37.

Hæc autem extrauagans incipiens, Quia vir reprobus cuius hic meminit Eymericus, nondum est impressa, nec peruenit adhuc ad manus nostras.

Quantum vero attinet ad hanc Michaelen de Casena hæreticum, plenissime de eo egimus cum Eymerico supra in hac 2. parte, quæst. 15. unde quæstio hæc lumen declarationis accipiet.

Q V A E S T I O X X VI .

## De libris damnatis à diuersis Romanis Pontificibus.

S V M M A R I V M .

- 1 Libri Petri Ioannis damnati à Joan. XXII.
- 2 Alexander IIII. damnauit lib. inscrip. Euangelium eternum.
- 3 Opuscula xx. Raymundi Lulli prohibita.
- 4 Littera Gregorij XI. de probitione dictorum librorum.

**N**igesimasexta quæstio est: Libri hæreticales seu erronei, per diuersos summos Pontifices, de fratrum suorum consilio, post mortem illorum, qui libros huiusmodi ediderunt, damnati qui sunt?

1 Ad hanc respondemus, quod dominus Ioannes Papa XXII. aumione residens, informatus de peruersa doctrina fratris Petri Ioannis de ordine fratrum Minorum, cù magno consilio multorum in Theologia Magistrorum, & doctorum, condemnauit dicti fratris Petri Ioannis, de quo actum est supra, hos libros ut vere hæretica-

les, scilicet, postillam super Apocalypsim: postillam super Matthauum: postillam super Canonicas, propter errores contentos in eis, hæretes, que recitantur supra q. 9.

2 Ante prædictorum librorum condemnationem factam per prædictum dominum Ioan. XXII. dominus Alexander IIII. condemnauit librum appellatum, Euangelium aeternum, propter hæretes & errores, que recitantur supra q. 9.

3 Post quem dominus Gregorius XI. condemnauit xx. volumina cuiusdam Raymundi Lulli, propter plures hæretes & errores, que recitantur supra q. 9. Libri autem condemnari & combuti per dominum Papam prædictum isti erant: Liber de philosophia amoris, liber de centum Dei nominibus, liber contemplationum, liber de vii. arboribus, liber de Ecclesiasticis prouerbijis, liber de confezione, contritione, satisfactione, & oratione, liber de orationibus, liber amati & amici, liber de benedicta tu, liber de beata Maria, liber de articulis fidei, liber de doctrina puerili, liber de planctu Raymundi, liber de intentionibus, liber de arte amatua, liber de tentatione, liber de oratione: & est alius à prædicto, liber de anima, liber sententiarum, liber apostolicorum.

Prædicta autem viginti volumina sunt condemnata per Bullam domini Papæ Gregorii XI. tenoris sequentis,

4 Bulla Gregorij Papæ XI. qua condonantur viginti volumina Raymundi Lulli, & cetera eiusdem opera interdicuntur.

**G**regorius Episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Tarragonæ, eiusque suffragancis: Salutem & Apostolicam benedictionem.

Conseruationi puritatis catholicae fidei, quam multi nequa filii scelerati suis falsis assertiōibus maculare nitentes, inter tritum purum agri Dominici pestiferū semēzizaniæ seminant, cum ad nostrum præcipue spectet officium, vt euellamus prava, et deltruamus peruersa, prouidere salubriter, & animarum illaqueationibus obuiare cōfestim plenis desiderijs affectantes, opportuna in his, quæ possumus, remedia, studio pastoralis sollicitudinis adhibemus. Dum siquidem dilectus filius Nicolaus Eymerici ordinis fratrum Prædicatorum professor, in sacra theologia magister, in regnis Aragoniæ, Valentia & Majoricarum Inquisitor hæreticæ prauitaris, nobis expofuit, se in regnis eisdem inuenisse viginti volumina diuerforū librorū, in vulgari scriptorum, à quodā Raymundo Lullo ciue Majoricarum editorum, in quibus ut ipsi In-

V 4 quis-

quisitori videbatur) multi continebantur errores, & hæreses manifestæ: & quod non nulli de prædictis, & alijs regnis, libris vte bantur eisdem, & eorum doctrinæ dabant fidem non modicam in grande suarum periculum animarum: supplicauitque nobis Inquisitor ipse, ut (ne simplices deciperentur ex libris ipsis) dignaremur in hac parte de oportuno remedio prouidere: Nos autem cupientes animarum iam forsan imbutarum, & quæ imbuī possent ex peruerso dogmate dictorum librorum, periculis celeriter obuiare, dictos libros per venerabilem fratrem nostrum Petrum episcopum Hostensem, & per quamplures etiam ultra vi genum numerum in eadem Theologia magistros, examinari fecimus diligenter, per quorum relationem tandem habuimus, q̄ ipsi dictos libros omnes cum multa diligentia legerant, & examinauerant. & quod ultra ducentos † articulos erroneos & hæreticales inuenierant in eisdem; super quibus inter eosdem Episcopum & magistros, sacerdos & dænum coram nobis habita disputatione solemni, ipsis articulos (ad vitandum prolixitatis tedium, & horribilitatem eorum, haberi volumus presentibus pro expressis) erroneos, & manifeste hæreticales de ipsorum Episcopi & magistrorum concordi consilio, censuimus repudiados. Cum autem, sicut Inquisitoris præfati confinabat assertio, in prædictis regnis alij libri, qui asseruntur editi à iam dicto Raymundo, reperti dicantur, in quibus huiusmodi tam repetiti, & alij errores & hæreses creduntur probabiliter contineri: Nos volentes de huiusmodi alijs libris & eorum doctrina informari plenariè, & super eis prouidere salubriter, ne fideles in errores huiusmodi damnabiliter prolaboratur; fraternitati vestræ de fratribus nostrorum consilio, per Apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus diebus Dominicis & festiis, in singulis Ecclesijs vestrīs cathedralibus, ac curatis, necnon religiosorum quorumcunque ordinum, exemptorum & non exemptorum, etiam Cisterciensis, Carthusiensis, Cluniacensis, Premonstratensis, Grandimontensis, sanctorum Benedicti & Augustini, ac fratribus Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum eiusdem sancti Augustini, & Carmelitarum, & aliorum ordinū vestrarum ciuitatū & diœcœlium, intra missarū solēnia existentibus

A populis ad diuinā, & prædicationib. pervos vel † alios, quantum cito commodè poteris, facfatis proponi, quod omnes & singuli personæ viri & sexus, cuiuscumque status, ordinis, vel conditionis existant, earumdem vestiarum ciuitatum & diœcœlium seu comorantes in eis, habentes libros quoquā a præfato Raymundo editos (ut prefetur) ipsos infra viius mensis spatiū vobis assignare: & illi qui sciunt alias personas libros eosdem habentes, eas uobis refuelare ac non minare procurent: usque libros recipiatis eosdem, quos cūm habueritis, quam cito commodè poteritis, curetis nobis fide liter destinare ut ipsos simili examini subiungere valeamus. Cæterum quia doctrina, seu potius dogmatizatio prædictorum librorum examinatorum reperitur eronea, hereticalis, & periculosa nimium animabus & uehemens iuspicio est habenda, q̄ in alijs libris editis à dicto Raymundo similares ut alij (ut preferitur) continantur errores, vobis mādamus, quod enībus & singulis eisdem personis vestrari in ciuitatum & diœcœlium, doctrinam seu potius dogmatizationem, & usum huiusmodi librorum interdicere studeatis, donec super his per sedem Apostolicam aliud fuerit ordinatum. Contradictores per censuram ecclesiasticā appellatione postposita, compescendo: Nō obstantibus, si aliquibus communiter, vel diuisim à sede Apostolica sit iudicatum, quod interdicti, suspendi, vel excommunicari: aut D extra uel ultra certa loca, ad iudicium vocari non possint per litteras Apostolicas nō facientes plenam & expressam, ac de uerbo ad uerbum de indulto huiusmodi mentionem, & quibuslibet exemptionibus, & alijs priuilegijs & litteris Apostolicis, quibuslibet que locis, personis, vel ordinibus, sub qua cuncte forma, vel expressione uerborū ab eadem sede concessis, de quibus corumque totis tenoribus, etiam de uerbo ad uerbum in nostris litteris mentio sit habēda: & per quæ præsēti mādati nostri effēctus valeat quomodolibet impediri. Insuper volumus quod per te frater Archiepiscopo, tenor p̄sentium sub tuo, vel officialis tui sigillo, ad tuos fratres suffraganeos transmittatur, cui per uos adhiberi volumus, uelut ipsis originalibus plenam fidem. Datum Auinione viii. Kalenda Februario, Pontificatus nostri anno VI.

COM

<sup>† in codice</sup>  
Sabellano le-  
gitur: quadr-  
gentos.